



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

19. Septembris. Volenti nihil difficilè, maximè ex iis, quæ fieri debent ex amore. S. ignat. ad Garz.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Profanus, & pius sermo statuunt de tuo,  
qualis sit, animo sententiam.

19. Septembris.

*Volenti nihil difficile, maxime ex iis, quæ  
fieri debent ex amore. S. Ignat. ad Garz.*

**I**Nvenies in quolibet vitæ genere deli-  
cias, si velis; quidquid enim amaroris  
rebus inesse dicimus, nos facimus; inno-  
centes illæ, naturæque suæ faciles forent,  
nisi fuga, & aversio nostra faceret acerbæ.

In laboris condimentum natura nobis  
amorem dedit. Quantum beneficium!  
cum hoc nihil tam durum erit, in quo non  
amans animus solatium inveniat.

Ut nobilis artifex in omni materia suam  
artem exercere novit; ita quamcunque  
fortunam accipiat amans, eam in sua com-  
moda uti sciet. Nulla ei poterit minus  
grata esse, amando faciet gratissimam.

Discimus amare, nec supererit, quod  
formidemus. Hac arte animus ad diffici-  
lia se præparet. Sinè suspitione Magiæ in-  
vulnerabilis amando fiet. Nec facilius ul-  
lum, neque certius laboris, & difficilium  
remedium.